

est ratio pertinendi ad finem reprobationis, illud peccatum, non permissio ejus, sed remissio deberet esse effectus hujus reprobationis, quatenus super tale beneficium iste recidivavit offensam. Sed hac ratione omnia beneficia Dei essent effectus reprobationis, quia respectu omnium crescit ingratitude, quod nimis generale est, nec speciali modo constituit effectum reprobationis, quia non ex intentione damnandi aut reprobandi illa beneficia descendunt. Aut si descendunt, non pertinet ad præsens, ubi agimus non de remissione peccati, quæ fuit beneficium, sed de permissione quæ fuit subtractio beneficii, an sit effectus reprobationis.

XX. Ad tertiam instantiam dicitur, quod peccatum remissum est materia doloris, et pœna in damnatis, non ut materia punitionis ratione culpæ, quia hæc evacuata est, sed ratione beneficii accepti in remissione ipsa quo ita male usus est ipse reprobatus. Sed hoc generale est omni beneficio divino, nec nos in præsentem agimus de ipso beneficio remissionis an sit effectus reprobationis, sed de ipsa permissione peccati, quod postea remissum est, an ista permissio operetur ad damnationem facta remissione. Et dicimus non operari, sicut nec ipsam culpam in ratione culpæ, et ad hanc solum conduxit permissio. Quod vero beneficium remissionis postea sit materia doloris, hoc non pertinet ad præsens, sed ad generalem rationem omnium beneficiorum Dei, quæ fiunt ipsi reprobo, imo de omnibus quæ fiunt aliis: nam omnia erunt materia doloris in damnatis, licet specialiter beneficia sibi facta fundent materiam ingratitude. Vocationes autem inefficaces, et gratia interrupta in prædestinatis sunt beneficia Dei, et per se conducunt ad materiam gaudii in beatis; et sic

sunt effectus prædestinationis, quia prædestinatio est beneficiorum præparatio. Reprobatio autem non præparat beneficia, licet ex illis per accidens capiat reprobatus vel abusum, vel dolorem: sed hic non agimus de beneficiis, sed de permissione peccati remissi, an sit effectus reprobationis, ut permissio est, et ad culpam conducens: sic enim non est beneficium, sed beneficii subtractio.

XXI. Instabis: Sit casus quod alicui remittatur peccatum, vel plura peccata per modicam attritionem in confessione, ita ut remaneat multa pœna temporalis solvenda in purgatorio, et dum illa non est soluta, nec satisfacta in hac vita, reincidat ille homo in peccatum mortale, et sic moriatur, tunc illa pœna quæ restabat solvenda pro peccatis jam remissis infligetur isti homini: nec enim illi remittitur, et non in purgatorio, quia mittitur in infernum, et in inferno non datur pœna temporalis, sed æterna: temporalis enim pœna solum in purgatorio solvitur: ergo in aliquo casu punietur peccatum remissum pœna damnationis æternæ; et sic erit effectus reprobationis, non obstante remissione quoad culpam.

Respondetur casum hunc esse valde ordinarium, licet non inveniam in auctoribus ejus resolutionem tractari. Sed in primis posset dici quod tale peccatum, licet sit remissum quoad culpam, non tamen plene quoad pœnam. Nos autem loquimur de peccato plene, et simpliciter remisso, quod non est effectus reprobationis. Deinde, cum aliquamdiu hæsitarem, inveni plenior resolutionem in D. Thoma qui sentit talia peccata in inferno puniri, sed temporaliter; et sic non esse inconveniens quod aliqua pœna accidentaliter diminuatur in inferno, sicut et augetur aliqua usque

ad diem judicii, non quia ibi mala valeant ad demeritum, sicut nec bona in beatis ad meritum, ut docet 1-2, q. XIII, art. IV ad II. Sed propter ipsam conditionem status usque ad diem judicii illas vicissitudines admittit. Dicit ergo sic sanctus doctor in IV, dist. XXII, quæst. I, art. I ad V: « Ad quintum dicendum, quod pro illa parte pœnæ, quæ sibi dimissa est in confessione vel contritione nunquam punietur, sed pro residua in æternum tamen, ut quidam dicunt, quia ratione fori in quo ponitur æterna pœna debetur, sicut est in venialibus, quæ in purgatorio puniuntur pœna temporalis, et in inferno æterna. Sed hoc non videtur simile, quia veniale ideo in inferno æternaliter punitur, quia semper manet, cum non sit ibi aliquid quod culpam delere possit, sed pœna ex hoc ipso quod solvitur expiatur. Et ideo alii dicunt, quod pœna, cujus est aliquis debitor post culpam remissam in æterno, punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur quod sit in inferno redemptio, quia pœna quæ solvitur, non redimitur. Nec est inconveniens, quod quantum ad aliquid accidentaliter pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augetur. » Ita D. Thomas. Ex quo patet, illam pœnam peccati jam remissi, non esse formaliter effectum reprobationis, quia non pertinet ad pœnam æternam, quæ proprie est reprobativa. Pœnæ autem quæ finiuntur, et poni possunt, et cessare in damnatis non sunt reprobationis effectus, licet materialiter ad reprobatum pertineant, et in inferni igne luantur. Pœnæ autem accidentales quæ semper durant, et semper cruciant, vel in se, vel in effectu, quem relinquunt, effectus sunt reprobationis, sicut gaudia accidentalia in beatis effectus sunt æ destinationis, quia perpetua

sunt, vel in se, vel in effectu quem relinquunt, quia illo gaudio uti semper possunt in se, vel in ejus recollectione.

XXII. Contra priorem partem conclusionis solum restat solvere fundamentum oppositæ sententiæ, quæ non assignat pro effectu reprobationis aliquam permissionem culpæ, nisi forte habere possit rationem aliquam pœnæ, ut quando datur in pœnam alicujus prioris peccati, vel ipsius Adam, vel ipsius reprobi, quod tamen in peccato Angeli, quod fuit irremissibile, et in peccato hominis jam justificati, qui reprobat, locum non habet, et tamen ibi currit ratio facta, quia illius peccati permissio ex aliqua speciali providentia debet oriri propter connectionem inevitabilem quam habet cum fine illo speciali, qui est exclusio gloriæ. Igitur fundamentum oppositæ sententiæ illud est, quia permissio non conducit ad finem reprobationis, nisi mediante peccato in ratione peccati: ergo si Deus vult permissionem ex illo fine reprobationis, et ostensionis justitiæ, tenetur amare, et velle ex tali fine illud peccatum; hoc autem est impossibile: ergo, etc. Consequentia probatur, quia nullus amat aliquid medium in ordine ad aliquem finem nisi in quantum ad talem finem conducit: ergo ratio illa propter quam conducit magis est amabilis: si ergo permissio non conducit ad illum finem nisi ratione ipsius peccati, impossibile est diligi permissionem ex illo fine, nisi teneatur Deus diligere peccatum. Antecedens vero certum est, quia punitionis, et damnatio, et exclusio a regno non fit propter permissionem, sed propter peccatum quod solum est punibile, quia materia punitionis solum est culpa ut culpa, non permissio.

Confirmatur, quia actus reproba-

tionis non est actus misericordiæ, sed justitiæ vindicativæ, prima autem permissio peccati propter quod aliquis damnatur, ut in Angelo, et in eo qui propter originale damnatur, non potest procedere ex justitia vindicativa, quia cum sit primum peccatum, non supponit aliud prius quod puniat, et in cujus pœnam permittatur : ergo non potest esse effectus reprobationis, quia si est actus justitiæ vindicativæ, omnes effectus ejus sub hac ratione formali debent ab ea procedere. Et licet parvulus, qui damnatur propter originale peccatum, contrahat illud ex Adam, cujus peccatum puniri potest in isto parvulo, tamen permissio qua iste parvulus contrahit peccatum non est alia a permissione qua in Adam peccavit, et ille ut caput istius parvuli lapsus est : illa autem permissio in Adam non fuit effectus reprobationis, tum quia antecessit prædestinationem hominum quæ facta est in Christo ut redemptore, et consequenter jam supponente peccatum : ergo a fortiori antecessit reprobationem ; tum quia si illa permissio peccati Adam ut capitis esset effectus reprobationis, omnes ex Adam manerent reprobati, quia omnes participant illam permissionem, sicut et peccatum.

XXIII. Respondetur hoc argumentum sæpe a nobis esse solutum, et supra tractatum disputatione præcedenti agendo de pœnitentia quæ essentialiter supponit peccatum, an sit effectus prædestinationis, idem nunc dicimus de justitia punitiva supponente essentialiter culpam in reprobatione. Dicimus ergo ad antecedens argumenti : Permissio non conducit nisi mediante peccato distinguo ; nisi mediante peccato, ut medio operante et tendente ad assecutionem talis finis, nego ; ut medio destruendo, et relinquendo seu materia destruenda, et relin-

quenda a tali fine, transeat. Ad consequentiam ergo tenetur ex vi talis finis amare, et velle peccatum, nego consequentiam. Ad probationem dico, quod nullus amat aliquid medium nisi prout conducit ad finem ; et sic ratio conducendi magis amatur. Negamus autem quod ratio qua permissio conducit ad finem reprobationis sit peccatum, quia peccatum non causatur, aut consequitur per aliquam influentiam ex ipsa permissione denegante gratiam, sed permissio solum se habet ut removens impedimentum quo alter detinebatur ne peccaret. Unde peccatum pure causatur ab homine, quia perditio ex re, et sic interrumpitur conducentia, et influentia inter permissionem, et peccatum, quia ex permissione ad peccatum nulla influentia datur. Unde neque sumitur ratio conducendi ad finem justitiæ, et reprobationis in permissione ex ipso peccato, sed tota ratio conducentiæ sistit in hoc quod est negare, seu detinere aliquod indebitum beneficium gratiæ, quod est impedimentum peccati : conducit enim ad ostensionem justitiæ, non solum ponere media positive causantia vel influentia in suum finem, sed etiam negare beneficia indebita, quæ si ponantur, excludunt materiam exercendi justitiam, quæ materia non est exhibenda, et causanda a Deo, eo quod sunt peccata. Unde denegatio gratiæ impeditivæ peccatorum non conducit ad finem reprobationis, seu ad ostensionem justitiæ ratione ipsius peccati ut causandi a se, vel propter aliquem influxum in ipsum peccatum, sed ut conditio requisita ad ostensionem justitiæ, quia si non denegetur gratia, et indebitum beneficium, non relinquetur locus justitiæ exercendæ, eo quod nulli erunt defectus æterni. Solum ergo ex vi illius finis intendit Deus relinquere creaturas

in eo statu, in quo non maneant impedita omnia peccata, et hæc est ratio conducens in sua permissione ad finem justitiæ punitivæ, ad quam non solum requiritur peccatum, ut materia super quam cadat justitia, sed etiam antecedenter ad hoc requiritur homines esse in statu non impossibili, nec impediente peccata, et hic status potest esse volitus a Deo, sine hoc quod sit volitum ipsum peccatum, quia peccatum in tali statu non contingit ex influentia Dei, sed ex defectu voluntatis nostræ. Velle autem statum illum naturæ defectibilis in quo non sit impedita ad deficiendum si velit, hoc pertinet ad Deum, quia cum creatura ex sua limitatione sit prona ad defectum, et solum per gratiam, et beneficium indebitum Dei possit contineri, et sustentari ne deficiat, non tenetur Deus semper hunc statum dare creaturæ, sed potest relinquere illam in statu suo defectibili, sine hoc quod ullo modo velit peccatum, quia adhuc posito illo statu, totum peccatum est ex sola voluntate creata, et nullo modo ex divina : ergo bene stat Deus constituere hominem in illo statu, et non constituere neque causare peccatum : ergo nec velle, quia Deum solum vult, quæ causat. Permissio autem solum constituit hominem in statu non impediente peccatum, quia solum habet denegare gratiam qua impiretur, non autem constituit hominem in statu influxivo, et causativo peccati, quia totus influxus in peccatum ex homine est. Ergo ex volitione permissionis ob finem reprobationis, solum infertur, quod Deus tenetur velle in homine statum non impeditivum peccati, et hunc statum vult, non autem sequitur quod teneatur velle ipsum peccatum, quia in illum non influit permissio. Et cum dicitur quod permissio solum conducit

ad finem reprobationis ratione peccati, negatur hoc : conducit enim etiam ratione status in quo relinquit hominem sine gratia impediente peccatum : hic enim status etiam conducit ad ostensionem justitiæ, quia requiritur antecedenter ad peccatum, et ille est volitus a Deo.

XXIV. Cum vero instatur, quod justitia non punit permissionem, sed peccatum ipsum ; et sic permissio non conducit ad reprobationis finem nisi ratione peccati, respondetur quod ad ipsum actum puniendi formaliter, non conducit permissio nisi ratione peccati : solum enim peccatum est materia punitivæ. Cæterum ad aliquid antecedens ipsum actum punitivæ conducit permissio, scilicet ad constituendum hominem in statu non impedito ad peccandum, in quo scilicet denegatur beneficium indebitum, seu gratia detinens, et impediens peccatum, et hunc statum potest Deus velle, licet non ipsum peccatum, quia non tenetur illud beneficium semper homini dare : et ex fine reprobationis, seu ostensionis justitiæ vult talem statum, quia reprobatio non dicit solum actum punitivum, sed etiam providentiam de omni eo quod constituit hominem in statu requisito ad suam justitiam : ad providentiam enim summam Dei pertinet omnia attingere quæ ad aliquem finem requiruntur ; unum autem ex requisitis ad ostensionem justitiæ est, ut homines in tali statu sint, in quo non sint impediti per beneficia divina ad delinquendum, et deficiendum.

XXV. Quia ergo solum hunc statum tenetur Deus velle ex vi talis permissionis, reliquum quod consequitur ex defectu creaturæ, (licet infallibiliter sequatur posita denegatione gratiæ, sicut sequitur annihilatio posita suspensione concursus)

non vult Deus, sed permittit, quia nec peccatum ex voluntate Dei est, sed ex permissione, nec peccatum se habet ut medium influens in consecutionem finis justitiæ, sed ut materia destruenda, et relinquenda, quia culpa per justitiam punitur, et fit æqualitas, tolliturque inæqualitas, quam culpa constituit. Unde non est aliquid diligendum ab intendente finem justitiæ, sed relinquendum; et ideo qui vult justitiæ ostensionem, non tenetur velle peccatum, sed solum permittere, et permissionem ipsam velle, quia non vult illud ut medium assecutivum finis, sed ut materiam destruendam per finem justitiæ, et hæc sufficit quod sit permissa, non volita, sicut non est volitus terminus a quo in motu, sed derelictus.

XXVI. Ad confirmationem respondetur, quod actus reprobationis non est misericordiæ, sed justitiæ, non tamen justitiæ solum ministerialiter, et quoad exercitium punitionis, sed etiam eminenter, et architectonice, scilicet providendo, et disponendo de ipsa virtute justitiæ, ejusque ostensione, et requisitis, ut ei detur locus in rerum natura. Et sic non omnes actus reprobationis procedunt sub ratione vindicandi, et puniendi in exercitio, sed quidam puniendo, et inferendo damnationis pœnam, quidam disponendo, et constituendo statum capacem ut possit natura libera deficere, permittendo cadere in culpam, ut dicit D. Thomas hic articulo tertio, quod est denegare gratiam, et beneficium indebitum quo detineretur, et impediretur natura ne deficeret: hoc enim beneficium non tenetur Deus semper dare, neque in hoc statu semper hominem constituere, et hoc facit permissio. Et sic permissio etiam in Angelo peccante, et in homine justificato qui postea cadit, et damnatur, est effectus reproba-

tionis, non sub formalitate vindictæ, et punitionis in executione, sed formalitate providentiæ disponentis, et providentis ea quæ sunt requisita ad ostensionem virtutis justitiæ, et sic ex tali fine operantis.

NEGATIO SUFFICIENTIS AUXILII EFFECTUS EST REPROBATIONIS.

XXVII. Sæpius in hoc opere, et in præcedenti tomo, disp. xx, meminimus auxilii sufficientis, et efficacis, pertinetque ad sufficiens dare posse, seu actum primum ad aliquam operationem: nomine enim sufficientiæ potestas intelligitur, et virtus, quæ ad actum primum pertinet; ad efficax autem spectat dare ipsam applicationem, et deductionem potentiam usque ad executionem actus secundi. Est autem necessarium ponere tale auxilium dans sufficientiam, et posse, quia ad potestatem, et vim operandi non sufficit ipsa capacitas obediens, quam habet naturalis potentia ut elevetur ad opera supernaturalia, sed requiritur facultas proxima, et proportionata ad operandum. Hæc autem non consistit in aliquo uno, aut indivisibili aliqua virtute, sed multa concurrunt tum intrinseca, tum extrinseca. Intrinseca sunt duo; ex parte intellectus notitia, ex parte voluntatis facultas seu proportionata vires ut sufficientiam, et potestatem quis habere dicatur ad aliquid faciendum: nam voluntas nihil potest operari nisi præsupponendo cognitionem ex parte intellectus, et in se habendo virtutem, et adjutorium proportionatum operi supernaturali faciendū; et sic utrumque horum pertinet ad sufficiens auxilium; et præterea requiruntur plura extrinseca, ut quod occurrat objectum, quod possit noti-

tiam convenientem præbere, ut quod prædicetur evangelium, quod non occurrant impedimenta extrinseca notitiam illam impediens, ministri sacramenti recipienti, materia illius, quod homo non sit impeditus audire, et suscipere res fidei, ut infirmitate, incarceratione, exilio, et aliis sexcentis impedimentis, quæ possunt occurrere, et potentiam tollunt ad recte operandum, et ad consequendam peccatorum remissionem.

XXVIII. Ex his autem quæ tam multa sunt, et concurrunt ad constituendam sufficientiam, et potentiam operandi, possunt aliquando a Deo negari aliqua ex illis, aliquando omnia. Possunt aliqua negari in se formaliter, et immediate, sed concedi mediate, et in sua causa, sicut plura ex illis non habemus ex negligentia nostra, vel parentum, aut ad quorum curam pertinemus, et tamen in promptu erat habere si diligentia adhiberetur, sicut aliqui ex negligentia non audiunt evangelium, et tamen possent audire, quia extat concionator: alii etiam adhuc pejus, eliciunt a se ministros veræ fidei, et nolunt eos audire, et id continuatur ab illis in alios per multum tempus, et manent sic integre civitates, provinciæ, et regiones sine notitia fidei modo inveniuntur, et consequenter sine sufficienti auxilio ad salutem in vi prioris negligentiam, aut contemptum priorum, unde manat, et continuatur in alios. Et isti de facto non recipiunt sufficiens auxilium proxime et immediate, sed tamen receperunt in sua causa, quia si illi priores quibus ipsi succedunt non haberent illam negligentiam, non deesset ipsis notitia fidei. Similiter parvuli multi de facto carent sacramento baptismi, aut quia deest aqua quæ est materia, aut quia deest minister qui sciat formam, quia licet ista re-

media sint in rerum natura, tamen hic et nunc applicata non sunt, sed hic applicationis defectus communiter reducitur ad aliquas causas, in quarum potestate erat eum evitare, v. g. si prægnans potuit evitare ne tempore partus esset in loco, ubi infans natus, aqua vel ministro careret pro baptismo, vel si id non potuit evitare mulier, saltem alii ad quorum curam, vel potestatem pertinebat, potuerunt id evitare. Similiter si ex aliquo motu, vel alteratione, aut qualibet alia mutatione infans in utero est suffocatus, et mortuus, sicque caruit baptismo, et fuit in manu mulieris vel aliorum id evitare, tunc censetur habuisse auxilium sufficiens mediate, et radicaliter, seu in causa sua, et ex negligentia, aut culpa aliorum illud non habuisse proxime.

XXIX. His suppositis aliqui absolute existimant Deum denegare aliquibus aliquando auxilia sufficientia in hac vita ne possint converti, licet quoad implenda præcepta quæ occurrunt, nunquam desit auxilium sufficiens, quale requiritur, et quali modo requiritur ut præceptum obliget, et iste non excusetur a peccato. Ita stant pro hac sententia Henricus quodlib. viii, qu. v; Abulensis in e. iv; Exodi Richardus; Bagnæz; Gonzalez hic disp. lxxvii, sect. v; Villegas contr. xvi, disp. ii, c. iii. Alii existimant nulli quantumcumque infideli, et obdurato denegari sufficiens auxilium. Ita Molina Suarez, Bellarminus, Valentia, Arrubal, Lessius, Vasquez, quos sequitur, et citat Alarcon tract. iv, disp. v, c. viii, num. ii et apud Villegas videri possunt e. ii. Et tamen Vasquez licet i par. disp. xcvi, c. iii, illam teneat sententiam, tamen 1-2, disp. cxx, c. iii, docet posse in aliquibus dari ignorantiam invincibilem mysteriorum fidei, quod sine denegatione auxilii sufficientis ad cre-